

contrariis quibuscumque. Volumus demum, ut earundem praesentium Transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1748 die 5. Aug.

D. Card. Passioneus.

J. Darius.

Visa de Curia

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 26. Augusti 1748.

Ad dubium: 1. An Archipresbyter Cathedr., cui imminet cura animarum, possit esse confessarius ordin. Monialium?

2. An Episcopus possit denegare Monialibus petentibus confessarium extraordinarium bis vel ter in anno?

3. An Confessarii ordinarii possint ultra triennium durare et maxime per longum tempus?

4. An *Confessionalia* monialium possint esse in Sacristiis vel domibus, quas inhabitant confessarii?

S. C. C. resp. ad 1.: Non posse, sed posse indulgeri;

ad 2.: Non posse, immo teneri offerre;

ad 3.: Singulis Triennii mutari debere;

ad 4.: Non posse, sed extare debere in Ecclesiis Monasteriorum.

Die 20. Sept. 1642.

Vd.: *Edictum Clem. XI. die 12. Dec. 1708* normam praescribens Confessariis ord. et extraord. Monialium quorumcunque Monasteriorum Almae Urbis observandam.

(Bull. r. t. VIII. p. 255.)

b) Habitaculum.

Ad dubium: An liceat Confessariis regularibus Monialium iisdem subjectarum habitare in mansionibus sitis in atriiis Monasteriorum muro circumvallatis et quae sunt contigua monasteriis et habent portam, quae clauditur?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 19. Sept. 1722.

7) Exornant Reliquias.

Vd.: *Reliquiae (Ornatus); Reliquiae (asserv. decr. Clem. X. n. VI.)*.

8) Indulgentiae.

Benedictus PP. XIII.

Cum Nos nonnullis in Christo dilectis filiabus Monialibus Monasterii s. Ambrosii de Urbe Ord. s. Benedicti s. hodie velamen et benedictionem et consecrationem impartiti fuerimus eisque plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concesserimus: caeteras quoque Moniales, quae deinceps velamen, bened. et consecrationem ejusmodi recipient, eodem spirituali munere donare volentes, omnibus et singulis Monialibus expresse professis quorumvis Monasteriorum in qualibet mundi parte existentium tam haecenus erectorum quam erigendorum cujuscunque Ord. a Sede ap. approbati, quas de caetero juxta ss. Canonum dispositionem ac formam in

Pontif. r. praescriptam, a proprio Episcopo seu Antistite velum s. suscipere ac benedici et consecrari contigerit, de earum velationis, benedictionis et consecrationis praefatarum, si vere poenitentes et confessae SS. Euchar. sumpserint ac pro Christ. principum concordia, haeresum extirpatione et s. matris ecclesiae exaltatione preces effuderint, plenariam similitur omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 6. Apr. 1728.

(Bull. r. t. X. p. 397.)

Clemens PP. XI.

S. C. J. re mature discussa die 20. Apr. 1711 declaravit: Monasteria omnia Monialium, quae a cura et gubernio FFr. suorum Ordinum sub immediata jurisdictionem Episcoporum translata sunt et in posterum transferri contigerit, non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amississe seu amissura fore, sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere, ac si sub gubernio FFr. suorum Ordinum actu existerent.

Datum Romae die 14. Maii 1714.

(Bull. r. t. VIII. p. 444.)

Benedictus PP. XIII.

Cum Moniales Monasteriorum Monialium s. Ursulae ex laudabili instituto tria vota post completum earum susceptionis habitus quinquagesimum annum solemniter renovare teneantur, Nos omnibus et singulis dictorum Monasteriorum Monialibus vere poenitentibus et confessis ac s. communionem receptis, quae vota sua praefata post completum quinquagesimum annum susceptionis habitus hujusmodi sol. reno-

vaverint, ac pro Christian. principum concordia etc. preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 17. Apr. 1728.

(Bull. r. t. XIII. p. 344.)

9) Praecedentia.

Vd.: *Visitatio; Benedictio Monial.*

Praecedere debere prius confessam, licet postea receptam, et non prius receptam sed non confessam. n. 1349 die 11. Novb. 1641.

Quamlibet ipsarum Monialium alteri praefendam, ratione tantum anterioris et antiquioris emissae professionis, nullatenus attentio, quod alias fuerint seniores aetate et priores in loco. n. 1879 die 6. Apr. 1658.

10) Sepultura.

Non ad Canonicos Cathedralis, vocatos ad funus, spectare Officium facere super cadaveribus, sed ad Confessarium sive Capellanum inservientem in Ecclesia ipsarum Monialium. n. 1318 die 20. Apr. 1641.

Ad Archipresbyterum Ecclesiae matricis Cunei, intra cujus parochiae limites sita est Ecclesia Monialium s. Clarae, spectare officium absolutio- nis super cadaveribus in ea tumulandis privative quoad Confessarium vel Capellanum Monialium. n. 2191 die 20. Novb. 1662.

Confessario Monialium s. Clarae, nullius Dioecesis, Provinciae Taurin., non competere usum stolae sed neque Officium facere super cadaveribus, quamvis in Ecclesia Monialium humana sunt. n. 2162 die 1. Apr. 1662.

Delata ad S. R. C. ex parte Domini Alexandri Mariae Licoè Sacerdotis ex Clericis Regularibus Minor. Confessarii

Monialium Asceterii s. Jacobi Terrae s. Ginnesii, Camerinen. Dioecesis, controversia inter eum exorta et Capitulum sive nonnullos Canonicos Ecclesiae Collegiatae dictae Terrae circa jus agendi exequias super cadaveribus Monialium ipsius Asceterii: Num scilicet competat Confessario Monialium, an vero praefato Capitulo?

Eadem S. C. derevit: „Celebrationem exequiarum spectare ad Confessarium pro tempore.“

N. 4496. Die 16. Martii 1805.

Ad dubium: An quando Cadaver alicujus defunctae Monialis delatum est ad Chorum et Officium Defunctorum ad aliam horam differtur, post Responsorium *Subvenite* addi possint *Kyrie eleison*, *Pater noster*, et Oratio *Absolute* cum aspersione?

Emi et Rmi P. s. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Posse.“

Atque ita rescripsere. N. 5148 ad 4. Die 7. Sept. 1850.

S. MONICA.

Vd.: SS. *Philippi et Jacobi*.

Festum s. Philippi non esse celebrandum die 4. Maii, in qua recitandum est Officium s. Monicae, sed transferendum ad primam diem non impeditam. n. 3096 die 24. Novb. 1685.

MONSTRANTIA.

1) Quae?

Vd.: *Instructio Clem. §. V. n. 7 — 14; Origo Monstrantiae, Ibid. §. XXXVI. n. 9 etc. Ostensorium; Crux in summitate Monstrant.*

2) Quomodo deferenda in process.?

Vd.: *Instructio Clem. §. XIX. n. 14.*

MORTUARIUM.

Vd.: *Quarta funeral.*

MOZZETTA.

1) Abbatis.

Abbas et Praepositus Canonicorum *Regularium Lateran.* in loco ipso Episcopo praesente in processionibus aliisque actibus publicis possunt deferre Mozzettam. n. 549 die 9. Decb. 1617.

Abbatem s. Andreae *Congreg. Lateran.* posse ubique etiam praesente Episcopo deferre Mozzettam. n. 592 die 30. Mart. 1621.

2) Archiepiscopi.

Archiepiscopus in alia quam sua Provincia non audeat incedere cum Rocchetto discooperto et Mozzetta. n. 834 die 18. Aug. 1629.

Cf.: *Mozzetta Metrop. De Mozz. Archiep. in visitat. publ. et privata*, vd.: *Praeses* (cap. I. II.).

3) Canonicorum Paroch.

Cf.: *Rocchettum; Canonici* (administ. Sacrament.).

Canonici Cathedralis Catanien. non debent uti Mozzetta *nigra* tempore Adventus, quando in Bullis de dicto colore non fit exceptio. n. 3701 ad 4 die 23. Aug. et 13. Sept. 1704.

Viterbien.

Etsi in Literis Apost. in forma Brevis expeditis s. m. Benedicti Papae XIV. usque ab anno 1740 Capitulo seu Canonicorum Collegio Paroch. Eccl. Civitatis Vetrallae intra fines Dioec. Viterb. indultum fuerit, ut Canonici ipsi in eccl. Functionibus intra propriam Eccl., et dum collegialiter incedunt, licite ac libere gestare valeant Rocchettum cum suis manicis et Mozzettam violacei coloris, attamen decursu temporis in hujusmodi Insignium usu nonnulli irrepsere abusus, quos ut occurratur

aliqui ex memoratae Colleg. Paroch. Eccl. Canonici S. R. C. sequentia Dubia enodanda proposuere, nimirum:

1. An, ea stante in Bulla Benedicti XIV. verborum clausula: *Dum collegialiter incedunt*, Archipresbyter Vetrallensis aut quisquam ex Canonicis se junctus a Collegio et separatim agens tam intra Colleg. Eccl. quam extra Rocchetti et Mozzettae usu gaudeat?

2. An eo gaudere Archipresbyter unus putandus sit, ex eo quod primus est inter aequales, non obstante quod Bulla mentionem ejus rei singularis nullam faciat?

3. An Archipresbyter vel Canonicus in genere Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae aliaque administraturus, tam in Eccl. Colleg. quam extra induere sibi possit choralia Insignia praedicta, desuper imposita Stola? et, quatenus negative, an Superpelliceo et Stola tantum in Sacramentorum et Sacramentalium omnium perfunctione rite uti teneatur?

4. An forsitan uni Archipresbytero propter personam, quam gerit, Parochi, liceat Rocchetto, Mozzetta et Stola induto Sacramenta in Paroecia sua administrare?

5. An uti valeat ea Veste in benedictione domorum, quae fit in Sabato S.?

6. An in associatione funeris sive in sua sive in aliena Paroecia?

7. An in associatione funeris una cum toto Collegio Canonico?

8. An in publicis Supplicationibus, quum Archipresbyter conjunctim cum Capitulo incedit?

9. An habitus ullus sit, qui rite competat Archipresbytero, si adstat benedictioni Matrimonii, quod administrat alius Sacerdos ab eo deputatus, et in casu: an sit Rocchettum, Mozzetta et Stola?

10. An Archipresbyter vel Canonicus rite adhibeat choralia Insignia et desuper impositam Stola in Concione, et quatenus negative, an uti possit Rocchetto, Superpelliceo et Stola?

Et S. eadem C. ad Vaticanum sub-signata die in Ordinario Coetu coadunata, referente subscripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, juxta alias Decreta respondendum censuit:

Ad 1.: „Posse intra Collegiatam, extra illam non posse.“

Ad 2.: „Negative.“

Ad 2.: „Negative, et servandum Decretum alias editum.“

Ad 4.: „Negative, sed tantum in casu cum Rocchetto et Superpelliceo.“

Ad 5.: „Negative.“

Ad 6.: „Negative.“

Ad 7.: „Affirmative, si incedat sine Stola.“

Ad 8.: „Ut ad proximum.“

Ad 9.: „Semper in casu sine Stola et cum habitu Choralis in propria Eccl. tantum.“

Ad 10.: „Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, si adsit consuetudo.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 5048.

Die 23. Maii 1846.

4) Canon. Collegiatae.

Ad dubium: an sit consulendum SSmo pro reportatione rescripti Pii VII. concedentis Canonicis Colleg. insign. s. Pauli ap. Valtellae facultates deferendi in s. functionibus clavam argenteam senatoriam et Mozzettas canonicales subsutas rubro serico colore cum asolis et globulis pariter rubri coloris? S. C. resp.: Affirmative et SSmo consulendum pro concessione Brevis, quo datur facultas utendi Insignibus, de quibus in dubio: necnon clava argentea tam intra quam extra